





115.  
EXPOSITIO PARATITLARIS,  
CUM INTELLECTU NOVO  
& singulari, L. un. C. d. Suffragio,

*In quâ præcipue agitur*

1640. 17.

DE

# SUFFRAGATORUM OPERA ET REMUNERATIONE, VULGO DICT. AFFECTIONgeldet/

CUJUS

PARTEM PRIOREM

(22)

PRÆSIDE

DN. JOANNE OTTONE TABORE, J.U.D.  
IN FLORENTISSIMA REIP. ARGENTORATENSIS

Academia Professore Publico, Præceptore suo

:atq; patrono, omni honoris cul-  
tu prosequendo,

*Publicæ disquisitioni*

In auditorio Jureconsultorum ordina-  
rio exhib.

ANDREAS BRACKENHOFFER,  
Argentoratensis.


Ad diem Febr.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPII.

ANNO M. DC. XL.





## Π ΑΡΑΣΚΕΤΑΣΜΑ

ET APPARATUS necessarius ad propositam tractationem:  
quo Constitutione L. un. C. h. t. contra veterum commenta, genuino  
sensu str. c. t. adseritur: deinde recentiorum plerorumq; omnium  
pronus in abrogationem hujus L. impetus, injecto uno al-  
tero veluti sufflamine sustinetur.

Ntequam enarrationem tituli  
hujus ad imitationem & complementum  
Optimi Antecessoris nostri M. Wesenbeccij  
accuratarum Digestionum aggrediamur,  
duo nobis antevertenda & amolienda sunt  
obstacula, quæ partim à Veteribus, partim à  
recentioribus, objecta conspiciuntur iis, qui campum istum  
fuerint ingressi Etenim *Glossa Bl. salic. Azo* & veterum pleriq;  
titulum istum exponunt de Advocatorum Salario: quos  
nonnulli etiam recentiores sequuti sunt, sed pauciores, *Guid.*  
*Pape in comm. ad h. tit. Sebastianus Navius in Systemat. annot.*  
*ad h. t. & quod mirere, etiam Sichardus qui tamen vocabuli istius*  
*notionem penitus investigavit, cujus verba post rejectam gl. Ex-*  
*plicationem ita habent n. 3. vos sic continuare: Supra diximus de*  
*certi condictione: sed quia propter suffragia advocatorum non nun-*  
*quam certum eis salarium datur, quod potest certi condictione peti,*  
*ideo nunc ordine subiungit de suffragio, per quod merentur advo-*  
*catis salario: Et majore æternitas s. inconsiderantia nota dignus (nō*  
*fidelitate colligendi & industria, judicij defectum in pleriq; obie-*  
*geret,) Augustinus Barbosa in coll. Etan. Cod. ad h. t. qui rameti*  
*suffragium in not. ad rubr. rectè cum Neoter. definivisset: in notis*  
*tamen ad ipsum textum παρομιώλα veterum, de salariis advocato-*  
*rū, exquisitus colorib. deducit ac pro materia legis venditat. Verūm*  
*politioribus dcinde annis errorem hunc concordibus suf-*

A z

fragiis

fragiis, Alciatus, Duarenus, Cujacius, Donellus, Gilckenius &  
atly mox allegandi, rationibusq; sat firmis, oppressere; quarum  
summa ex paratitlis ipsis apparebit; imò velex sola nominis  
evolutione: unde palam futurum est mirum non esse si ve-  
teres illi doctores, viri alioquin acutissimi hic aberraverint,  
cum vocis vim non calluerint: quod prædixit Arist. i. Sophistic.  
*Elench. c. 2.*

2.

Nec abstinuere tamen recentiores nonnulli manum,  
quoniam veterum vestigia prementes, ad fulcienda tradita sua  
de salariis; hunc quoque locum allegarent. Wesenbec. in pa-  
ratit. Mandati. num. ult. f. A. Faber. in Rational. ad l. 7. Mandati,  
& præterea eandem doctrinam hic explicarent. v. Wesenb. in  
*Comm. C. h. t. n. 4.* Veriti scil. ne otiosa dicent & quæ usum  
non haberent, postquam legem istam per Novell. 8. & 101. ab-  
rogatam esse inter certissima & decretissima communiter  
habuere Nomenclaturam eorum authorum copiosam pos-  
semus exhibere, sed principes nominasse tatis erit, sunt au-  
tem in hâc sententiâ. Cujac. in Comment. ad Novell. 8. & in re-  
cit. ad hunc tit. circa f. Gothofr. in gloss. Pancirollus 2. var. le-  
ction. 198. Diodor. Tuldenius in comment. C. ad h. t. M. Stephani  
in exposit. Novell 8. n 15. Wesenbec. in comment. C. h. n. 2. inf.  
Gifan. ad l. un. h. t. inf. Gudelinus lib. s. de jur. noviss. cap. 6. n. 10.  
Paulus Christinæus volum. 1. decis. Belgicar. 6. n. 2. ubi Menoch.  
& Duaren. huic classi vel in vitos, certè nihil hac de re dicentes ad-  
scribit: Perezius in exposit. C. h. t. subdubit, hunc in modum  
expositionem suam claudens: hanc legem unicam abroga-  
re videtur Justinianus, prohibens hujusmodi suffragia mune-  
rum, largitiones & promissiones fieri iis, penes quos est po-  
testas conferendi Magistratus & officia.

3.

Enimvero quo minus huic sententiæ Neotericorum,  
quos alias merito suo veneramus, subscribamus, & totum  
hunc titulum in spongiam sinamus incumbere, protesta-  
tiones

tiones Imper. nostri & aliorum efficiunt, qui hanc à se suspi-  
cionem enixè satagunt amoliri, quasi uno vel altero verbo  
totam aliquam legem velint evertere, l. si quando. 35. C. de in-  
offic test. sed ita habendum esse prædicant, ut quæ lege re-  
centiori non inveniuntur, nominatim & specialiter, abro-  
gata ea censeantur relicta fuisse veteris juris dispositioni, l.  
præcipimus 32 §. ult. C. de Appellat. (Quod enim disertè non est  
mutatum quare stare prohibetur l. sancimus 27. C. de Testa-  
ment.) item quia id potius agendum sibi esse, juris studiosi  
monentur, ut leges concordare discant, Nov. 53. c. 6 inf. quam  
ut earum correctionem, l. uir. C. de inoffic. dot. cap. cum expe-  
diat 29. ibi: concordare jurâ juribus, & eorum correctiones si su-  
ffineri valeant, evitari ext. de elect. & electi potestar in 6. aut ex  
unius speciei, totius generis abrogationem induci patientur.  
l. sanctio 41. de Pœnis, conf. Cont. r. disputat J. Clis cap. 13. P. Heig.  
ad §. cum ex aliena s. Instit. de Rerum divis n. 5. Certè Impera-  
torem legem illam, peculiari titulo, integrum relaturum  
non fuisse, quam voto jam aversabatur & veluti causam pu-  
blicarum calamitatum detestabatur, verisimile est. arg. l. i. ff.  
ad L. Aquil. uti quidem alteram, quæ ipsi indecens videbatur,  
constitutionem l. i. C. Th. h. r. à Codicis sui compage exclusit.  
conf. l. 4. §. 2. C. de offic. diversor. judicum, ibi: sine quadam suf-  
fragij solutione percepturos. Quæ exceptio ut supervacua, etiam  
delenda fuisse, si omne jus suffragiorum Imper. unius fidelia ducta  
& litura voluisse sublatum.

Quod si jam constitutiones abrogatorias evolvamus,  
deprehendemus unius tantum generis suffragia, non univer-  
sa, fuisse submota. Nam Justinianus in Nov. 8. & Tiberius  
(2. uti putatur) in 161. agunt de Præsidibus & Magistratibus,  
quod vel inscriptiones docent, circa quorum ordinationem &  
constitutionem tota Impp. cura occupatur & consumitur,  
ne illi per sordes & ambitum promoveantur: uti prolog. & epi-

A. 3.

log.

4.

log. ostendit, itaque præcipiunt ut ii fiant sine pecunia vel suffragio, sive ut Græcus textus habet χορὶς τῆς οἰκατίν διορεύειν. d. Nov. 8. rubric. utque illi cingula sine mercede percipient, omni iure aut more contrario sublato & interdicto: d. Nov. 8. prefat. §. 1. & passim. E diverso in lege nostra unica ne verbulo quidem præsidum aut magistratum, vel ambitus sit mentio. Malè ergò provisio atque abrogatio ad legis istius & universorum suffragiorum excidium producitur. l. un. §. II. f. C. de caduc. toll. Nov. 2. c. 3.

5. Quamvis autem adversus ista regeri possit illud vulgatum: ubi eadem ratio legis apparet, ibi eandem quoque legis dispositionem obtinere; idq; non tantum extensive sed & comprehensive, arg. l. bis solis 7. ibi: satis enim fuisse cautum putamus C. derevocand. donat. & ut nonnulli volunt etiam in correctoriis constitutionibus extensionem fieri debere, si alias resultet absurdum. Jason in l. fratres 27. n. 4. C. de in offic. testam. Rol à Valle consil. 27. n. 6. & seq. Atqui absurdum sit, suffragia emere & beneficia principis esse venalia: Ideoque dicendum etiam num illud probabile relinqui, Impp. suffragia in universum displicuisse.

6. Moverit tamen non debemus: Etenim ut alia, quæ ad priorem propositionem excipi poterant, omittamus: planè hic diversa apparet prohibitionis ratio in Novellis; & permissionis in nostra lege unica. Agunt enim Novellæ uti d. de Præsidibus & Magistratibus quos nolunt dare aliquod suffragium, neq; pro administratione quamlibet donationem d. Nov. 8. c. 7. idèò, quia τὸ ἀρχυρολογῖν τὰς αρχὰς πάσοντες εἰς τοντιας προσπίστες τοιούτους, ut inquit Imperat. in prefat. Nov. 8. c. 1. idest, pecunias ex officiis conquirere, omnis nequitiae, omniumq; sagitorum principium est & finis: Qui verò istud? dices: Respondet Imperator, in pr. prefat. quia hoc modo subditi Imperii ad extremam rediguntur paupertatem & neq; consueta & legitima tributa nec publicum censum possunt persolvere?

solvere : Requires amplius, quomodo istud contingat? Ex-  
plicathoc amplius Imper. in prafat. Cum enim retro Impe-  
ratores semper aliquid lucri caperent, ex tunc iustitiae usus pro-  
soraynūs, ex promotionibus ad officia ( vulgata obscurius ex  
proventu judicium ) nimirum difficultissimis implicati bellis, &  
cum nulla expedienda pecunieratio celerior appareret quam hono-  
rum licitatio, vid. Bod. o. d. Repub. cap. 2 pag. 651. Juxtim & exem-  
plum horum sequentur gloriosissimi præfeti: Ex hac in-  
justitia damnis subditorum bonis illatis, eadem collatori-  
bus non potuerunt sufficere. Adhuc clarius §. 1. vers. an cer-  
te: quoniam qui aurum dat & ita administrationem emit,  
non dat hoc soluni quantum occasione suffragiorum in-  
ventum est; sed & aliud amplius pollicetur his, qui admini-  
strationem illi dant, aut spondent: necesse est manus  
circumire & palpare plurimorum & donacionem quam de  
suo largiri nequeat, forte mutuo sumere & quidem sub-  
usuris: quæ omnia postmodum à provincialibus vicissim  
extundenda sunt. Quæcausactiam allegata fuit à majoribus no-  
stris in gravaminibus contra palliorum Archiepiscopalium v. t. t.  
ext. de Autorit. & usu pallii. ( Episcopis enim ea non nisi ex privile-  
gio competunt c. cum in juventute ext. de presumt.) nundinationes  
& Simoniacas exactiones, vetitas in c. i. & t. t. ext. de Simonia &  
ne aliquid, can. novit. 3. distinct. 100. nimisq. pretiosas, das solche  
Auslagen mit grossen beschwerden der Unterthanen / wi-  
derumb müssen erholet werden: v. D. Otton. c. 18. de Jur pu-  
plicop. 413. Reink lib 3. class. 1. c. 8. n. 24. Postquam enim functi-  
ones & officia nocti sunt hi tales per suffragia promoti, quis  
locus tutus & quæ causa potest esse excusata, quando sic in  
proclivi est veneranda justitiæ templa expugnare, ut in re si-  
mili loquitur Imperat. Leo in b. si quenquam 31. C. de Episcop. &  
Cler. Cum hi multos quidem reorum dimittant vendentes  
eis delictum, plurimos autem innoxios condemnent, ut  
noxiis:

noxiis præsent : hinc gemitus & querelæ omnium ordinum , & seditiones civitatum. Furantur enim isti sine periculo & latrocinantur sine reatu , putantes licere sibi quocunque modo vicissim cogere in ad ninistratione, quæ ejus obtainendæ causa profuderunt : nec quisquam ex supremis magistratibus audet eos redarguere , nisi eos cum obstinatione regerentes audire velit , se cingula emisse. *inf.d. prefat.conf.cap.ii. d. N. 8.* & jure gentium quæ emeris vendre licere, *Senec.lib.1.de benef.c.9.* Porro cum subditi animadvertisunt, apud magistratus argentangina laborantes omnia crimina esse venalia auroque venalia: *Lucii Neratii, apud Gellium 20. N. A. cap.1.* animum moresque induunt: Ex qua vacordia postmodum homicidia , adulteria , raptus virginum, & alia scelera multiplicantur. Recte ergo suffragia ista, totius nequitiae principium & terminus judicantur , & quia talia sunt, diro execrationis carmine è Rep. proscribuntur.

7.  
Hæ, inquam, rationes sunt istarum Novellarum, quæ legi nostræ nullatenus possunt applicari. Namque ut hoc interim demus Pancirolo, contrariam causam foventi: desideria in iure etiam preces significare: *2.variar. cap. 198.med.* Pone tamen omnes cordati lectors, inspecto textu nostro, negabunt desideria hæc, generatim nuncupata, ad solas eorum preces qui magistratum petunt, debere aut posse restringi. Cum ut advocati omnis generis desideria judicibus: ita multo plures precum formas, easque licitas, æquas & utiles, suffragatores principi, extra ambitus causam possint commendare. *Ut in paratitl. explicabitur.* Certè ratio dd. Novellarum , plerisq; desideriorum causis non convenit. Quis enim dicat litem quam cum vicino quis de servitute stillicidii habet, principi non esse commendandam per suffragia, aut eo nomine interpellandum esse neminem; quia hinc infinita scelera & exitium Reip. suboriatur. Aut quia stillici-

stilicidio suo per suffragii auxilium citius impetrato, in per-  
niciē egregij publ. quis abusurus sit. Quem v. ille privatus qui  
hoc favore fretus, beneficium aliquod à principe impetra-  
vit, aut honores, per bullam Nobilitatis vel Comitivæ Pala-  
tinatus &c? quem inquā ille impetrans vicissim excutiet; aut  
cui ideò delicti gratiā facere poterit. Deniq; si desiderio po-  
titus eo perperam usus fuerit, cur verecūdetur Imp. vel sum-  
mus Magistratus revocare beneficium, cui iste nihil possit  
sordium improperare? Cur debitum illum nequeat castigare  
modis & suppliciis? Uno verbo nihil hinc periculi Recip.

Nec absurdum aut inconveniens est, aulicos vel alios  
claros viros pro opera commendationis aut sollicitationis,  
id est, procurationis negotii, honorarium vel munus obla-  
tum pactumve acceptare; cum ca nemini per leges impona-  
tur necessitas, ut gratis cuiquam inserviat, aut cum intertri-  
mento propriæ utilitatis provideat alteri. *per allegat.* *Wesemb.*  
*paratit. de postuland. n. 3.* & *in paratit. de contrar. tut.* & *util. act.*  
*n. 4.* Quia enim officia ejusmodi aliis exhiberi vix possunt  
quin à propriis interim negotiis quis avocetur, *L. sed si quis*  
*7. quemadmodum testam aper.* dum omnes articuli tempo-  
rum & momenta commodatum in aulis & admissioni-  
bus apud principem captanda sunt. *fac. c. cum non deceat 30 de*  
*Elect.* & *Elect. pot. in 6. v. quæ inf. d th. 18.* Imò nec in publicis  
causis damnata cuiquam debentesse officia *L. inde licet 29.*  
*Ex quib. caus. maj. ne dum in privatis l. si servus. 61. §. quod vero,*  
*versic. idq., ibi: multo tamen aquius esse nemini officium suum,*  
*quod ejus cum quo contraxerit, non etiam sui commoda causa susce-*  
*perit damnosum esse. de furtis.* Ne igitur & aulicus vel alius vir  
honoratus principi gratus & officiosus dispendium patia-  
tur, unde videatur præmium meruisse verbis utimur & per-  
venit 2. *de fidejussoribus.* invidenda ipsi non est remunera-  
tio: *adhibeantur sextus in l. si patet 34. §. ultim. de donation.*

B

cum

cum parallelis. Quam præterea supplicantis, sive operam suffragatoris expertenti, consuadet & tantum non imponit naturalis quædam obligatio ad avitidem L. sed et si. 25. §. consuluit de petit hered. & ingratitudinis declinatio. L. Aquilius Regulus 27. de donat. junct. L. hoc jure 19. §. i. eod. quæ L. et alias actionem non producant. L. 54. §. i. defurt. Duaren. de O. & d. cap. 2. Donell 12. com. 2. C. Schifferdecker. l. 3. disp. foren. tr. 26. c. i. & seq. per tot. accedente tamen civili causa effectu pleniore fuit munita. Deniq; præstatur suffragii præmium, nō ut pretium mercedis aut illicitæ corruptelæ: sed ut hostimentum grati animi, cui in magnis aliquando angustiis ab hoc suffragiorum auxilio, venit levamentum. d. l. si pater. 34. §. i. de donat ibi non merces eximiū laboris appellanda est, quod contemplatione salutis, certo modo estimari non placuit c. finite. de Censibus. Vivian. irrational. ad c. i. & 10. De simonia.

Q.  
Cujus causæ intuitu nec in speciali quidem isto suffragii negotio, cum de magistratu & potestate adipiscenda agitur, Justinianus omnem planè sustulit remunerationem, sed excessum tantum & corruptelam, N. 8. c. 7. vers. sciat n. ibi ultra etaque occasione consuetudinum à nobis iis definita sunt. Speare eò etiam videtur honorarium quod decuriones pro contractu dare solebant L. spuri. 6. §. i. de Decurion. L. si sponsus s. §. Marcellus 17. de donat. inter virum & ux: (qua loca è Brissone Zypæus lib. 1. de Judice. cap. 32. n. 7. vitiōsè ut solet, descripsit) & milites, L. pen. §. pen. & alt. de Legat. 3. Item Enthroniaisticum Episcoporum, ex Nov. 123. cap. si quis 3: (Gothof. in inscript. cathedralicu vocat: quod tamen canones pro Synodatico sumunt. can. placuit cauf. 10. q. 3.) quod sublati licet, in illa quoq; ambitus specie, suffragii Juribus, voluit tamen Imperat. ipse dependi. Hodie remunerationem istam usus, respectu Cleri quidem abrogavit: Zypæus d' c. n. 8. respectu autem pontificis longe uberior remunerandi officii ratio sufficere est, nempe anna-

pe annatarum pontificis solvendarum. de quib. v. Duar 8. de be-  
nef. 3. Gothofr. in not. ad Nov. 123. c. 16. Molinaeus in Ed. contra  
parvas datas.

Conclūdimus ergo: non omnibus promiscuè in cau-  
sis suffragiorum jus abrogatum, donationemve aut remu-  
nerationem istam aliquo J. Cli impeditā non esse, liceat ver-  
bus util. s. §. ult. de donat. ut vir. & ux. sed suam huic constitu-  
tioni vim, utinā sine extensioē illicitā! etiamnum constare:

Atq; hæc ita pro assertionē istius constitutionis nec. &  
sariò præmittenda fuere, ne in re planè inutili operam, ful-  
tum scil. in inceptiis laborem, quod ex illo Catulliano referit We-  
senbec in parat. de vulg. & pub. subst. n. ult. posuisse nos quis-  
quam rerum istarum peritus, jure queat arguere. arg. §. 3. &  
& præm. Inst. & d.l. i ad L. Aquil. nunc quod instituimus, subii-  
ciamus, sit ergo hæc

### Constitutionis istius PARATITLARIS Expositio.

1. **D**Uarenus in comment. b. titulum istum particulam quandam Contin-  
& appendicem vocat superioris tractatus, si certum petatur: nuatio.  
pertinere enim eum ad locum de officio judicis in certi condicione:  
cum in hâc condicione, judici illud spectandum sit, an causa promis-  
sionis sit justa nec ne. sequitur Perezius in parat. b. n. i.

Verum quia hæc ratio ἀλλαχία nimis generalis est: Cujacius  
in ea non acquiescit, sed in comment. & parat. ad Codicem Theodosia-  
num nos jubet respicere: Alibi, conferendo & applicando d. codi-  
cem, clarius docet: Duplicem olim fuisse actionem si certum petatur,  
unam de Chirographis de qua tit. in C. Theod. Alteram de suffragiis.  
Inde priorem esse titulum, Si certum petatur: & sequi titulum de  
suffrag. Hæc Cujac. ad l. i. §. jubet 9. de collat bon pag 1743.

2. Dicamus adhuc clarius: Continuationis rationem rectiss.  
colligi è C. Theod. ejus n. lib. 2. tit. 27. ita inscribitur: si certum petatur  
de chirographis. tit. 28. de pecuniae sequestratione prohibita tit. 29. si certum  
petatur de suffragiis. Hic cum adverterent Justiniani Codicis artifices,  
titulum 29. proprius accedere ad inscriptionem & materiam tituli 27.  
quam titulum interjectum de sequestratione: siquidem conditionis  
ceru species hæc duæ nobiles & notabiles sunt: si certum petatur de chi-

graphis ( sive si mutuum syngrapha fuerit contractum : v. C. A. de  
reb. cred. th. 19. ) Itemque condicō si certum petatur de suffragio. C. A.  
d. lo. th. 42. sequestrationes autem veluti contrariæ conditionum juri  
inveniantur Wesenbec. in comment. C. b. t. cum iis prius executio cre-  
ditori inferatur, quam iudicio ille fuerit convictus : C. A. d. t. thes. 32.  
inf. Ideò rejecto in posteriore locum titulo intermedio : pōst con-  
ditionem eam quæ ex jure jurando oritur , & rem religiosam con-  
cernit; de profanis causis primum proposuerunt in novo Codice con-  
stitutiones de condicōne certi in genere agentes: Et quia constitu-  
tio ea, quæ posita erat sub tit. C. Th. si cert. p. t. de chirograph. ( incipiens :  
super chirographis mortuorum hanc servari volumus perpetua observatione  
sententiam ) excludebatur è Justin. Cod. Ideò titulum etiam specia-  
lem istum expunxerē ; ita tamen ut de hac conditione in l. ultim. ti-  
tuli illius generalis quantum expedire videbatur, agerent, ipsius Justi-  
niani constitutione substituta ( que incipit super chirographariis instru-  
mentis hec pro communi utilitate facienda duximus : ) Relinquebatur er-  
gò titulus de suffragiis, cuius priore lege rejecta; lex posterior sola hāc  
rubricam occupavit quæ est de suffragio.

Etymolo-  
gia.

3. Voci suffragii ( à Justiniano jure civitatis Græcæ donatae  
Nov. 8. c. 1. ibi. οὐδὲ φραγμὸς τὸν καλεμένων σφραγίς γιαν ) ignorata veteribus  
indoles hallucinati ipsoſ & labi circa hujus cōstitutionis sententiam  
fecit : uti d. in apparat. itaque vis ejus diligentissime cognoscenda est.  
Et glossa quidem vocem hanc à fragore, id est, sono deducit: cuius  
derivationis causam, aut quid ea ſibi velit glossa, nescire ſe ait Duare-  
nus. in comment. ad hunc tit. Sichardus rigidius cum glossa agit, illamq;  
simpliciter errare pronunciat: cum suffragium non à fragore: sed à  
ſuffraginibus sit dictum, in comment. C. b. t. n. 1. subiicit tamen num: 2.  
glossæ ſomnium pulchrè torqueri hodie posse in advocatos clamosos & indo-  
ctos, qui foro nihil inferunt præter fragorem. Hæc Sichard.

4. Ut autem verum est suffragium deductum esse à suffragine  
ſeu flexura crurum in animalibus; ita casus cognitione conjunctum  
esse id vocabulum fragori, haud absurdum est dicere; utrumq; enim  
à frangendo doctissimis Grammaticorum derivatur. Becman. orig. in  
voce fragor. Enimverò cum suffraginibus illis animalia maximè pol-  
leant ſruanturque in connitendo , hinc orta videtur primum vox  
ſuffragari, quæ conniti adjuvare & sublevare, l. qui quis 95. de legat. 3.  
ult. C. de jur. & facti ign l. un. C. si contra matris voluntatem l. ult. C. de  
ll. l. 12. C. de Episcop. Aud. quemadmodum refragari ejus contrarium;  
hoc est, obniti & repugnare; ſignificat l. ult. C. de obseq. patron. praef. l. ſe-  
fundum 22. C. de evict. & locis alius à Briffon. notat. pag. 562.

g. Hu-

5. Hujusmodi adnisi cum olim in civitate illi quam maximè Homony-  
sublevarentur, qui vocibus & votis atque scitis senatorum aut ci-  
vium, in foro, aut comitiis vel in iudicio egerent; ideo vota ipsa, suf-  
fragia, primum dici coepere, uti videre est ex locis à Brisson. collectis pag.  
613. vers. suffragia pro vocibus & scitis, qui vers. in C. A. de rebus cred. th. pen.  
n. i. translatus & ibid. illustratus est. addi quoq; potest l. ult. C. de silent. & de-  
curion. eorum: lib. 12. tit. 16. l. spuri 6. §. ult. de decurion. quod jus suffragij à  
jure civitatis pendebat. Flor. lib. 86. Alex ab A. lib. 4. c. gen. dier. 10.

6. Postea cum potestate ad unum revocata comitiis ē campo  
in curiam translatis, Taut. i. Annal. 15. haut usque liberis amplius votis  
negotia ejusmodi transigerentur: sed ex arbitrio principum deside-  
ria subjectorum vestigium & fœderatorum populorum pendeat:  
precibus atque intercessionibus e blandienda fuit gratia principalis:  
Hinc suffragia pro intercessionibus atque commendationibus usur-  
pata reperiuntur: teste Cujac. in parat. hic. quomodo explicare licet c. 6.  
in f. ext. de celebrat. missa. ut per suffragia vivorum pro mortuis, intercessio-  
nes, preces & commendationes eorum intelligamus.

7. Porro quia candidati aut clientes votis & commendationi-  
bus ejusmodi auxilium sibi latum aut beneficium collatum agnosce-  
rent, suffragium etiam ad ipsum auxilium & favorem significandum  
traductum est. v. Rosin. lib. 8. antiq. cap. 6. in secund. part. l. 12. tabb. l. 3.  
verb. suffragia sunt: & suffragari idem notare, quod auxilio alicui esse, vi-  
sum fuit. P. Gregor. 49. syntagm. c. 8. n. 3. v. l. 6. §. 1. C. de temp. in integr.  
rest. l. hi qui. 3. C. de Apost. ibi hominum carere suffragis: id est auxiliis mu-  
tuum: ubi ramen Gothofred. commercia subintelligit l. padum curat. 22. ibi  
adulta etatis suffragium, id est, favor. C. de pactis l. in criminibus i. C. si ad-  
versus del. &c. Quod præcipue notandum est ad explicationem l. eorum 4. C.  
de malef. & mathemat. quæ pessimè vulgo tractatur: ut in vindiciis ad con-  
stit. Carolin. d. d. sumus ubertim ostensuri.

8. Incessivit denique compotes votorum animos redhonestien-  
di beneficia ardor justissimus: Aliquando prolectandæ benevolen-  
tiae & promptitudini necessaria fuit etiam prævia liberalitas, quæ  
cum ob suffragia prænominata intercederet, nomen fecit ipsi auto-  
ramento aut honorario: sic enim pro dono & munere suffragium  
sumi. Duaren. Cujac. & alii supra laudati authores è recentioribus no-  
tavere: per l. laudabile 4 § 2. l. per hanc 7. ibi: gratis & sine ullo suffragio  
C. de Advocat. div. jud. 2. & in inser. Nov. 3. ut judges sine quoquo suffragio  
siant. ubi Iustin. scripsit χωρὶς ὀντὸς δόσεως. d. l. ult. C. de silent. & decur. eoru  
lib. 12. tit. 16. Nov. 123. c. 2. §. 1. ibi: ut nullus per suffragium auri. conf. Pan-

B. &

cirilli

ciroll. i. var. lection. c. 77. pag. 51. ubi vocem suffragij inter ea verba recenset  
qua à posteriore etate recepta sunt : quod de postremis istis significationibus  
intellectum velim, locus omnium elegantissimus, omnibusque studio-  
sis memorandus est in l. i. C. de off. Magistri. off. quæ autes ipsis velli-  
cat, jubetque ne tām promoveri desiderent suffragio, (sc. pecuniā, fa-  
vore & pudendis artibus aliis) quām L A B O R E.

9. Eadem dicendi figura occurrit in voce pignoris, quæ &  
contractum & rem denotat. v. C. A. de pignor. act. th. 2. & de pignorib.  
th. 2. itemque in voce pacti. C. A. de Pactis. th. 2. (quæ inter alia, quod  
ibidem omissum est, etiam rem seu pecuninm quæ pacti causa datur significat  
lege etiam 3. C. de obseq. patron. præst. Cujac. & Gothofr. h.) & in voca-  
bulo mutui l. 2. de reb. cred. ubi C. A. th. 4. num. 5. Feudi. 1. feud. 4. cap. 1.  
Gothofr. Anton. d. 1. th. 2. c. & similibus. Ad eamque significationem  
respicit Germanica voci suffragii appellatio, cum in aulis quorum-  
cunque magnatum inter honestissima cupiditatis peripetas mata ha-  
betur, das affection geld.

Synony-  
mia & Pa-  
ronymia.

10. E qua multipli vociis acceptance dignoscenda sunt ver-  
bi istius tūm synonyma hactenus recensita; tūm paronyma: ut suf-  
fragationis, & suffragatorum, 1. militem 2. C. ad procurat. id est,  
fautorum. Gifan in comment. C. ad l. 7. & suffraganei, qua ii indican-  
tur Episcopi qui subsunt Archiepiscopo, vel metropolitæ. Cujac. ad cap. cum  
non ab homine 10. ext. de Iudu facit i. antiqua 22. extr. & privileg. Can. Sci-  
tote caus. 6 q. 3. Tum præterea distinguenda etiam est, ex diversa vo-  
ciis acceptance tractatio hujus constitutionis. Ut cunq; enim in prin-  
cipio legi nostræ, illa tantum significatio vociis obtinere possit, quæ  
suffragium sumit pro commendatione intercessione vel auxilio,  
illis verbis principii: ferri sibi a quoquam suffragium postulaverint: in  
verbis tamen fin. §. ult. aliter, & quidem pro ipso munere pecunia seu  
remuneratione usurpatur. Quid quod utriusque rei tam intricata  
est notitia, ut animus æqui bonique cupidus in iis quæ hactenus à  
scriptoribus tradita sunt, haut tuto possit acquiescere. Seorsim ergo  
de suffragatione seu intercessione, tum deinceps de suffragio seu remu-  
neratione dispiciamus.

Definitio  
nem.

11. Suffragium pro suffragatione sumptum definitur à Gifan.  
in comment. C. b. i. favor, quem quis officium aut beneficium à prin-  
cipe

## P A R S P R I O R.

### D E S U F F R A G A T I O N E.

cipe petenti præster. Rectius August. Barbos: *ad rubr. collect. in Cod.*  
h.t. quod sit intercessio apud principem alicujus rei impetrandi cau-  
sa, sive ut Donell. in *comment. C. h.* commendatio honorifica alicu-  
jus de aliquo apud principem aut populum; ad honorem aut benefi-  
cium aliquid à principe vel populo obtainendum, compatata. Nos ita  
describemus: quod suffragium si intercessio grati apud superiorem  
hominis, qui negotium alterius intuitu præmii, illi commendat.

Distinctio.

Distingui possunt intercessiones istæ à materia, quod sint vel li-  
citæ vel illicitæ: à forma quod vel sinceræ sint vel fucatæ atque fumo-  
læ, utrumq; ex dicendis clarius patebit.

12. Enim verò orta videtur hæc suffragandi ratio, cum effectu Causa Pro-  
& jure suo, de quo postea, à difficultate accedendi principem, plurimis cataracta.  
& magnis negotiis destinatum & distentum: cum enim princeps,  
sua scientia cuncta complecti non possit, Tuit. 3. Annal. 69. cum pau-  
ca audiat, pauca videat: Xenoph. 8. Cyropaed. Ideo alienis indiget oculis  
& auribus, id. ibid. Lipsius 3. polit. 2. idque ut in aliis causis publicis &  
regimen status, aut curam domus principalis concernentibus: ita  
multo magis in his quæ desideria spectant singulorum.

13. Suffragationem autem istam quatenus ea licita est, expe-  
dire solent: (1) Amici Principum: Iisque vel sanguine juncti; veluti  
Uxor, cui Justinianus, ut alias, ita in hac quoque suffragiorum causa  
constituenda plurimum tribuit, Novell. 8. c. i. Liberi, qui enim Impe-  
ratibiores istis ad parentes veniant suffragatores: arg. l. ult. C. de cu-  
rat Furiosi l. 8. quod metus causa (unde & vox affectus aliquando liberis ipsis  
designandis fuit adhibita l. 11. C. de decurio) itemque cognati alii, arg.  
l. 4. §. ult. de re milit. vel (2) ministerio, ut Præf. Prætor. Comites aut  
palatini alii, qui cum ob consuetudinem quotidianam apud princi-  
pem plerumq; gratosi sint: favoris & mignons: idèò præcipue juvare  
aliorū desideria possunt, l. 223. de V.S. & hinc plurifariā captare ex hac  
causa munera solent: Unde Duaren. constitutionem istam non du-  
bitavit aulicam vocare: Comment. C. h. & 2. disput. 21: Medici, Bar-  
bitonsores & qui alii apud principes in gratia esse solent v. P. Matthæi  
lib. 2. historiar. Henrici Magni narrat 2. num. 13. Le Comtat. Provincial.  
pag. 1. Aliquando etiam extranei principes, magnates, legati, qui sa-  
pnumero pro miserabilibus personis interveniunt:

Causa ef-  
ficies pro-  
xima., &  
qui suffra-  
gatores es-  
se possint.

14. Possunt deniq; omnes alii h. l. pr. ib. à quoquam vel non l. ult. de  
Offi. præfect. Vig. l. 4. C. de contrah. stip. l. 6. §. i. C. de advoc. i. qui non prohi-  
bentur: Uti quidē nominatim hac de causa vetantur principem acce-  
dere MILITES, in l. militem 7. ibi: vel quasi suffragatorem accedere

C. de

C. de Procurat. qui ne parentes quidem suffragatione sua juvare possunt, d. l. 7. cum utilitas Reipubl. cui in castris militem invigilare decet, caritati parentum & liberorum anteponenda sit. l. postliminum 19. S. transfuge in f. de capiv. & postlim. revers. Gifan. ad d. l. 7. quam prohibitionem Dd. & ad Clericum tanquam militem Christi extendunt. Salycer ad l. 7. n. 4. & Ruminald. ibi. Eoq; non parum facit l. omne 43.

C. de Episcop. & cler.

Materia  
Objectiva,  
& quæ de-  
sideria  
suffragiis  
juvanda  
non sint.

15. Objectum suffragationis sunt desideria: quæ Pancirollus, Objectiva, (quod dicere occupavimus) male cum reliquis ad honorum tantum desideria sive ambitum redigit: Fateamur enim ea desideria quæ ambitum spectant, principi per modum suffragiorum, hoc est spe aut invitatione præmii, (hac enim cum commendatione gratuita & ultronea incaute confunduntur) insinuanda non esse: Sive de functione Ecclesiastica laboreatur, l. si quemquam 31. ibi: nemo gradum sacerdotii pretii venalitate & ibi. nec precio sed precibus ordinetur C. de Episcop. & cler. Cosmas Guymier ad sanctionem pragmat Gallie pag. 176. & seqq. (Ubi preces importunæ, præsertim pro indigno, inducunt Simoniam, c. sunt nonnulli. caus. 2. q. 1. c. ordinationes. cap. per impositionem de Simon. C. tuam, de etat. & qual. Guymier. d. lo. pag. 439.) Sive de Civil. d. Nov. 8. Nemo enim suffragio ad honores promoveri debet, sed labore & virtute sua eo pervenire, d. l. 1. C. de offic. magistri officior. at quod gratis suscepit, gratis etiam obeat. Novell. 29. cap. 2. vers. cumque gratia (que verba ex illo Christi hausta sunt, Matth. 10. vers. 8. gratia accepta &c.) & ne occasione suffragiorum, sive datæ pro officio pecunia nomine magistratus Imperii subditos, quasi mancipium aliquod, à vendentibus suffragatoribus coemere videantur. Novell. 29. c. 2. & d. in apparat. Verissime enim Alexander Severus dixit: Eum qui patitur mercatores potestatum, damnare eos non posse: Cum erubescendum illi sit, si puniat illum hominem, qui vendit, quod emit. v. A. Lamprid. in ejus vita. Et plurimas rationes alias apud allegatos Hilliger. 17. D. E. 7. lit. 2.

16. Restè ergò Pacius in Anal. f. b. t. num. 5. vers. 4. Inter requisita suffragiū recenset, ne magistratum provinciale, vel officium defensoris, vel simile quid contineat. Has enim nundinationes etiam ante Justinianum successores nostrorum Impp. Theodos. & Valent. taxaverant in l. ult. C. ad L. Iul. repet. quā tam dare, quā accipere præsides vetantur; & tam adversus dantem quā accipientem quadruplici pena constituitur. Cujus Constitutionis cum Novellam 8. imitationem quandam, Cujaciū esse prohibeat, in comm. ad d. Nov. 8. & pro-

& proinde hāc ex illa L. ultima esse int̄pretandā: Rectē iterū & per bonam conseq. inferemus prohibitionem Novel. 8. tantum ad Magistratum suffragia, & quæ consequendæ potestatis causa dantur; pertinere: (Quomodo & Græci censuēre, qui in Eclog. Basil. lib. 6. tit. 1. l. 15. summam ejus ita expresserunt: Σιαλαυθαρι γαρ περὶ τῆς χωρίς οὐτῶν δόσεως γίνεσθαι τέσσερας.) nec ad alias causas, præterquam L. expressas extendendas esse: Vti post excusam priorem hujus disquisitio-  
nis paginam, etiam statuisse deprehendamus, Dn. Meterum de reb. credit. thes.  
ult. fin. Sed de his hactenus: nunc ad alia progrediendum est.

17. Similiter autem excipienda est hoc lo. *l. 1. decisā rescripto prin-  
cipis*, cuius refricandæ causa, nominatim etiam prohibitum est, exqui-  
tere suffragium: quin is, qui ambite suffragium ejusmodi fuerit co-  
natus, in totam litis æstimationem adversario condemnandus est.  
*juxta l. supplicare 2. C. ut lit. pend. ad quam v. Edmund Merlin. 2. observ. 7.*

18. Fortè etiam excipiendum est crimen Majestatis & alia ex atrocissimis: Nam cum intercessio simplex etiam vetita esse videa-  
tur, l. 5. §. 2. ibi: apud nos intervenire tentaverint. C. ad L. Iul. Maj. Decian.  
7. tr. crim. q. 47. n. 8. Ita ut deprecatores pœnæ in principiis indignatio-  
nem aliquando inciderint, quod Henricus IV, cognatus Bironi pro eo in-  
tercedentibus exprobrasse legitur apud Thuan. lib. 128. quomodo indigna-  
tionem non incurrat, qui pretio suffragium vendidit? arg. l. 1. §. 3. de  
salumniat v. Farin q. 118. n. 28. & 29. Wesenb. parat. de abolit. n. ult.

19. Extra has verò causas infinita sunt desideria tam peregrino-  
rum quam civium, quæ principi commendari, etiam sub spe redhosti-  
menti, honestè possunt. Latissimè enim patet vocis hujus ambitus &  
tam publica quam privata desideria continet. Ita olim desiderabant  
Asiani ab Antonino Augusto, ut Proconsuli necessitatem impone-  
ret. Asiam per mare adeūdi & in Asia primam attingendi τὸν μῆτρον  
τὸν ἐφεσὸν seu inter matrices urbes Ephesum: (neg. enim necessarium  
est, ut cum D. Gothofr. mutemus lectionem & scribamus, τὸν μῆτρον:  
cum vox ista non planè καθ' ἔξοχον sumatur, sed insigniores urbes, quarum  
in Asia plures fuérē, respiciat. Bachov. ad istum loc. in comment.) Eorum  
desideriis, per amicum haud dubiè hominem principi commendatis,  
Imp. satis fecit in l. observare 4. §. ingressum 5. de off. procons. & legat. conf. l.  
omnia 11. de off. præf.

20. Privata desideria vel ad viam Justitiæ vel gratiæ collimant.  
Justitiæ, puta promovendæ, si res à ministris aut judicibus inferiori-  
bus in longum trahatur, fac. l. 1. §. 2. de postul. l. libertus 15. de injus. voc. l. si  
& re 22. de hered. perit. l. propter 4. ibi desiderio postulantum C. de duob. reis  
l. ult. C. ut lit. pend. aut opprimantur miseri. l. 9. §. observare 5. de off. præf.

I. si quis s. §. 2. de agnosc. & alend. lib. cum GRATIÆ in civilibus & criminalibus causis impetrandæ. Nominatim (quod & singulariter, tum pro conservando hujus legis vigore, tum pro ejusdem limitatione notandum:) Commendare etiam licet alios ad honores potestatis expertes: sic advocati fisci possunt, cui velint, à principe impetrare dignitatem clarissimatus & epistolas, quibus ea dignitas approbatur. L. 6. §. 1. C. de advoc. i. (quomodo hodiè diplomata Nobilitatis, Comitivæ Palatii, Exemptionis, protectionis &c. inter vētu aulicōrum solēt impetrati:) Possunt iidem Jure Justinian. singulis annis binos offerre principi, inserendos præsentialibus domesticis, id est, militibus ad custodiam principis deputatis, l. restituendæ 6. §. licentiam 3. C. de advoc. div. jud. 2. ubi Pac. in anal. n. 25. vers. ult. qui præsentiales dicuntur ideo, quod in comitatu principis sint præsentes & assidui. C. A. de postuland. th. 54. §. ultim. In criminalibus v. cap. felicis. 5. de pœnū in 6. post med. vers. verūm ralis. desiderata restitutio ab exilio sæpe legitur suffragante amico impetrata. Corn. Nepos. Alcibiad. c. 5. vers. 4. Thuan. lib. 134.

Forma.

21. Hæc & generis ejus complura alia ut commendari Principi aliquando publicè interest: Ita præmium laboris ab ejusmodi suffragatione sumere aut expectare nullibi est prohibitum. conf. C. A. de donat. th. 8. Illud saltem agendum est suffragatori, ut postquam aliquis ferri sibi auxilium postulaverit, h. l. un. seu adjuvari se suffragio ejus petierit, arg. l. 2. §. 2. ad SC. Vellei. l. 12. §. 2. Quod metus causa. (Ingerere enim sese, turpe & probrosum esset. l. 25. de procurat. l. 21. §. ult. ex quib. caus. maj.) & ipse vicissim à cliente honorarium aut receperit aut stipulatus fuerit. (Alias enim nihil exigere postea poterit. h. l. un. pr. ib. se spōsione constrinxerint. & ibi promissa restituant. d. disp. seq.) Tum, inquam, suffragatori opera danda est, ut susceptam promissamque suffragationem & commendationem præstet per agatq; bona fide, captatis temporum articulis (ut molles aditus, & mollia tempora norit) veluti si princeps à venatione, peregrinatione, à vino, ab Epulis venerit, atq; ut fieri poterit, dum hilarior fuerit atque alicujus compos voluptatis, otiiq; factus: ut enim animum invenies, talem ferè petitio eventū sortietur. Omnia apud turbidū turbida sunt; ut etiam facillima difficillima reddantur, quibus verbus suum informat legatum Fr. Marselaer lib. 2. c. 38.

22. Imprimis autem sine fuso: ne alioquin ipsi contingat, quod aulico illi Imp. Alexandri de quo Lampridius in vitâ Alex. Severi in hæc verba scribit: cum quidam Turinus suffragium apud Imperatorem promisisset atque pronuntiasset se Imperatori quidem dixisse, (cum nihil dixisset) sed in eo pendere, ut adhuc impetraret, sumum hoc

hoc pacto vendens: Alexander iussit hominem accusari & ad stipitem  
ligari, fumoq; apposito ex stipulis atq; humidis lignis necari, superin-  
dicente p̄econe: fumo punitur, qui fumum vendidit. ref. Ḡiken. h. Vel  
ne illud saltem experiatur, quod non nemo apud Vespasian. qui per  
mendacium principi alium tanquam fratrem commendabat, eique  
hoc nomine dispensationē à principe petebat: Ingeniosissimus enim  
princeps artes istas p̄äsentiens, suffragatorem quidem distulit, quasi  
deliberandi spatium quārens: Interim verō cānditatum ipsum ad se  
vocavit, exactaq; pecunia quantam is cum suffragatore pepiget, si-  
nemora eum ordinavit: suffragatori & p̄æmium p̄æcipiens & pu-  
dorem incutiens; His salibus interpellantem ministrum postea per-  
fricans: Alium tibi, ait, quāre fratrem: hic, quem tuum putas,  
meus est. v. Sueton in Vespasian cap. 23.

23. Est etiam principis, non citō credere suffragatoribus; sed sem-  
per diu quārere quod verum sit. Exemplo M. Ant. Philosophi, de quo  
hēc verba enuntiat Julius Capitolinus in ejus vita circa fin. Nimia enim  
credulitas facillimē circumvenitur. l. nimia. II. C. de O. & A.

24. Quod si suffragium ab honestis principiis amicis suscepit, Finis &  
in causis æquis & legitimis, eo quem designavimus (primis lineis & effectus.  
velut in στιγματικό modo, interpositum fuerit: salutare illud erit in-  
primis clienti, dum is justi desiderii compos futurus est: honorificum  
principi, dum liberalis, benefici, magnanimi aliaq; elogia merebitur,  
animosque hominum magis sibi devinciet: (quod unum est inexpu-  
gnabile principatus monumentum. Senec. lib. I. de Clem. c. 9.) Paratissi-  
mos etiam habiturus est parastatas, & patiētes moræ, si ripendia quā-  
doq; quēstura tardaverit. Denique urite & proficuum suffragatori,  
qui promeritum latus est à grato cliente, post impetrata desideria  
p̄æmiū. Quod in suffragatorem conferri à lege divina alienū non est,  
arg. Luc. 3. v. 14. Rom. 13. v. 6. Multo minus ab humana b. l. un. l. I. & t. t.  
extr. de var. & extr. cognit. l. I. C. Mandat l. 6. §. 3. C. de postuland. Consue-  
tudini autem & ingenio aularum, ac planè humanis desideriis est  
convenientissimum.

25. Et cum munera ejusmodi exigant advocati, procuratores, pro-  
xenetæ, quorum opera quandam cum suffragatione habet ad finita-  
tē; cur inter piacula numerabimus si eadē recipiat suffragator. Quā-  
quam ab his omnibus discerni iste potest. Ab advocate quidē (1) cau-  
sis, objectiva & form. Advocatus enim ferè tantū ad causas litigiosas  
in foro tractandas & perorandas vocatur. l. II. inf. C. de adv. 1. v. Wef.  
in parat. ff. de procurat. ibi: patronus autem navat operam singularis doctri-  
nae: suffragator ad quascunque alias: v. th. 17. in aula, principi aut ma-

gnatibus commendandas. d.l.un. (2) Adjunctus: Ob illam enim operam  
advocato debetur salarium etiam citra conventionem. l. i. §. in honora-  
riis. de var. & extraord. l. 1. §. i. ubi lac. & Dd. de prescr. verb. idque ei debe-  
tur etiamsi desiderium clientis non obtinuerit. l. ult. inf. C. de condic.  
ob caus. dat. Neque tamen illud in singulis causis excedere summa  
100 fl. debet. d.l. i. §. si cui cautum. Quæ omnia secus se habent in suffra-  
gio. Opera enim suffragatoris, provisum à lege non habet honorariū;  
nec definitam quantitatē; nec exigi potest, nisi desideriis potitus fuc-  
rit cliens: ut altera disp. dicerur. v. interim Donell. ad hanc l. un. inf.

26. Differt etiam opera procuratoris ab hac suffragii causa: Pro-  
curator enim Mandato constituitur ab eo, qui princeps & principa-  
lis est negotii. l. i. pr. & l. 8. §. ult. de procurat. & obligatum habet procu-  
rаторem si suscepit opera praestare cum cura supersederit, l.  
31. l. 42 §. 2. de procurat. ubi C. A. th. 99. Suscipitur autem à procuratore  
gratuitò §. ult. l. de Mandat. daturq; ei in dominum actio contraria de  
his quæ impendit l. 30; & 31. de procurat. l. qui mutuam. 56. §. ult. Mandat.  
At suffragator precibus potius & pretio clientis, b.l. un. ibi: postulave-  
rint, & ibi: ob. referendam vicem, invitatur & permovetur, ut suffragium  
promittat: nec ulla cliens illum actione potest pullare, si in præstan-  
da commendationis opera negligenter fuerit se fatus; eo maximè ca-  
su, quo nihil dedit suffragii nomine, sed tacitum promisit: Nam si quid  
dederit, & suffragatio non fuerit interposita, vel effectum non ha-  
buerit, conditioni locuserit d. d. sp. altera.

27. Denique non conciliat suffragator, invicem contrahentes,  
quod proxeneta officium est. l. 3. de proxenet. sed gratiam principis de-  
rivat in clientem, non tractatione & pararia operâ: sed intercessione  
& favore voti: l. un. pr. b. ibi: ferri suffragium. Nec extra conventionem  
præmium suffragii expectare potest: prout quidem proxeneta phi-  
lantropum. l. 2. de proxenet. cognitione extraordinaria, jure suffragan-  
te persequitur.

Contraria.

28. Contraria ex causis supra traditis possunt colligi: Inpri-  
mis adversatur juri suffragationis aut causæ qualitas, quæ impro-  
bam reddit suffragationem. arg. l. 6. §. ult. Mandat. ut quia jure prohibi-  
ta est soveri patrocinio tali: item q; dolus, depectio. l. Titius 36. ubi Dd. ad  
Municip. sycophantia & concusso l. 3. de Var. & extraord. cogn. Et ex  
altera parte clientis ingratitudo: de qua elegans historia videri potest  
apud Hubert. Thom. Leod. lib. 2. annal. de vita Friderici II. inf. & di-  
cendum erit plenius in secunda parte: quandoquidem ob instantem  
professionem eam operæ partem, quæ quidem potissima est,  
pertinere nunc non licet Respondenti.

• 6 (o) 90

2

**ULB Halle**

3

005 714 745




bdz



# Farbkarte #13

B.I.G.



EXPOSITIO PARATITLARIS,  
CUM INTELLECTU NOVO  
& singulari, L.un. C.d.Suffragio,  
*In qua precipue agitur* 1640. 7.  
DE  
**SUFFRAGATORUM**  
OPERA ET REMUNERATIONE,  
VULGODICT. AFFECTIONe  
CUJUS  
PARTEM PRIOREM  
PRAESIDE  
DN. JOANNE OTTONE TABORE, J.U.D.  
IN FLORENTISSIMA REIP. ARGENTORATENSIS  
Academia Professore Publico, Praeceptore suo  
atq; patrono, omni honoris cul-  
tu prosequendo,  
*Publica disquisitioni*  
In auditorio Jureconsultorum ordina-  
rio exhib.  
ANDREAS BRACKENHOFFER,  
Argentoratensis.  
Ad diem Febr.  
  
ARGENTORATI.  
Typis JOHANNIS REPPIL.  
ANNO M. DC. XL.